



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XXX. Ordo Equitum Christi, in Portugallia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XXX.

Ordo Equitum Christi in Portugallia.

Portugallia, siue, vt alij scribunt, Portugallia, (quæ prouincia maiori ex parte veteribus Lusitania fuit) secundùm Oceanum occidentum fusa, & Anâ ac Minio fluminibus ad meridiem septentrionesque comprehensa, longitudine quadringenta millia passuum colligit, multò minori latitudine, & vbi latissimè se pandit, centum amplius sexaginta millium, vbi arctissimè coit, octoginta. Diuisa est in partes tres, Cistaganam, Transtaganam, & tractum eum, qui Minio, Durioque continetur, prouentus lætissimus, vbi Bracara sita est: citra Tagum autem *Olisipo*, vltra Tagum spectatur *Ebora*, metropolitanæ vrbes. Ceterum vt in Castella, sic & in Lusitania varij ordines militares numerantur: quorum quidam militum incredibili virtute freti Reges Lusitaniæ, Mauros olim ea prouincia expulerunt, auorumque ætate Africam, Asiam atque alio sub Sole iacentes Indos, sibi tributarios fecerunt, verèque religionis lumè in remotissimas nationes intulerunt. Hos inter ordines apud Lusitanos is nobilissimus cèsetur, qui *Christi* nomine insignitur. Cuius quidem sodales, ex Cisterciensium instituto viuentes,

N

nigrâ

nigrâ veste vtitur, & cruce partim rubrâ, partim candidâ. Sût .n. quatuor eius brachia per medium discissa, & lineâ candidâ interfecante distincta : sic vt in singulis brachijs binæ cruces appareant, rubra & candida. Militaré hunc ordinem, aduersus Mauros, institutum, Ioannes XXII. Pont. Max. anno ferè c. l. ccc. xviii. cõfirmavit. Huic sodalitiõ Templariorum nuper deletorum opida, prædia, & desq; à Dionysio Lusitanæ Rege sunt attributæ. Primarium ordini domiciliû ad Castrû Marinû, in diocesi Eluensi, est constitutum: inde postea *Tomarium* migratum. Sic ferè Mariana in historia Hispaniæ : at Panuinius in Chronico suo Ecclesiastico, ad annû 1325. ista refert. Exstant huius ordinis Regulæ, seu Cõstitutiones, itemq; Priuilegia Lusitanè edita Olisipone an. 1607. à Reuerendissimo Damiano, Priore conuentus Tomariensis, & generali eiusdem ordinis Præfecto. Connubij porrò facultatem ab Alexandro V I. Pont. Max. militibus istis concessam lego.

CAPVT XXXI.

Ordo Equitum Montesiæ, in regno Valentia.

Iacobo II. Aragoniæ, Catalauniæ, & Valentia Rege, per legationes agente, ex prædijs, quæ Templarij in Valentino tractu obti-